

servare et exequi legem. Et ideo etiam hæc licentia non est tam stricti juris, sicut dispensatio, debet tamen esse intentioni juris accommodata. Imo probabile est per se non esse actum jurisdictionis, sed domini vel superioritatis cujusdam, et potest esse tantum conditio quædam requisita ex voto, vel alio simili modo; longe ergo differt a dispensatione.

12. Adhuc tamen non videtur adæquata illa definitio, primo, quia convenit abrogationi legi humanæ, quia illa est multo major relaxatio humanæ legis. Propter quod dicere aliquis potest melius definiri dispensationem ut sit derogatio humanæ legis: nam per genus illud excluditur, ut non sit abrogatio: nam ut dicitur in l. 102, ff. de Verbor. significat.: *Derogatur legi cum pars detrahitur: abrogatur legi cum prorsus tollitur.* Unde etiam dixit Lactan., l. 6, cap. 8 de Lege naturali: *Neque ex hac derogari aliquid licet, neque prorsus tolli,* ex Cic., l. 3 de Repub.; sed hoc etiam potest impugnari, quia licet omnis dispensatio sit quædam juris derogatio, non tamen e contrario omnis derogatio legis humanæ videtur esse dispensatio: nam si pars aliqua legis pro tota communitate auferatur, est propria derogatio; et tamen non dicitur dispensatio, quia de ratione dispensationis legis esse videtur ut eadem lex, prout per dispensationem relaxatur, circa quosdam tollatur, in se vero maneat. Nomen autem relaxationis optime retineri potest, quia in ipsomet indicatur vinculum quod aufertur non auferri aut prorsus tolli, sed laxari tantum, et ideo abrogatio non dicitur propria relaxatio, ideoque etiam ablatio ejus ex parte, licet si perpetua sit et pro tota communitate, non dicitur proprie dispensatio, sed derogatio; e contrario vero si lex tota relaxetur, etiam pro tota communitate, ad unum tantum actum vel ad certum tempus, illa proprie dicitur dispensatio, quia per illam non tollitur lex, sed suspenditur, et illa etiam est quædam relaxatio.

13. *Privilegium dici potest interdum dispensatio.* — Altera objectio esse potest, quia privilegium etiam est relaxatio juris humani, et tamen non est dispensatio. Propter hoc aliqui varias tradunt differentias inter privilegium et dispensationem, sed melius illa comparatio tractabitur in lib. 8, ubi de privilegiis dicitur. Nunc ergo breviter dici potest privilegium quod fuerit contra jus et illud relaxaverit esse dispensationem; illud autem privilegium quod non fuerit contra jus non esse relaxationem juris, ideoque nec dispensationem

esse, et ita nihil contineri sub definitione, quod dispensatio non sit. Vel etiam dicere possumus dispensationem esse relaxationem juris per modum actus secundi, seu transeuntis: privilegium autem concedere aliquod jus per modum actus primi et permanentis, et ideo non esse proprie ipsam relaxationem, sed esse jus utendi aliqua re vel facultate, supposita relaxatione facta a principe, ideoque non tam esse quam supponere dispensationem. Sed hæc posterior responsio obscurior est, et de illa dicemus loco citato; nunc prior nobis sufficit, quia nullum est inconueniens dispensationem vocare privilegium, et aliquod privilegium dispensationem, nec jura repugnant, nec communis modus loquendi.

14. Tandem objici potest, quia relaxatio non est dispensatio, sed dispensationis effectus; ergo non recte per illam definitur. Sicut lex non dicitur esse obligatio, quamvis hæc sit legis effectus, nec votum etiam dicitur esse obligatio, sed promissio ex qua obligatio nascitur. Sed hæc objectio parvi momenti est, quia sola vocis interpretatione dissolvitur: posita autem est ad explicandum magis actum in quo dispensatio consistit. Ad objectionem ergo respondetur relaxationis nomine intelligi actum illum quo superior relaxat subdito legis obligationem et effectum, unde perinde est dicere dispensationem esse relaxationem ac dicere esse actum quo lex relaxatur. Potest etiam distingui relaxatio in activam et passivam, et responderi activam relaxationem esse ipsam dispensationem, passivam vero esse dispensationis effectum. Et idem revolvitur: nam activa relaxatio nihil est aliud quam actus quo vinculum legis solvitur. Unde obiter intelligitur dispensationem quoad effectum suum tantum privative opponi effectui legis, quia non inducit positivum effectum, sed tollit vinculum. Et ideo statutum speciale vel privatum, derogans universali legi, licet dici possit relaxatio juris, non potest dici dispensatio, quia non est relaxatio pura (ut sic dicam) nec per se primo, sed quasi consequens ad aliam obligationem: definitio autem debet intelligi in pura relaxatione, et per se primo intenta: talis enim est disputatio. At vero dispensatio ipsa positivum quid est, et contrarie opponitur legi; est enim actus legi contrarius, non integre, sed ex parte tollens effectum ejus. Ex quo poterat hic excitari quæstio, quisnam sit hic actus in quo dispensatio consistit, et an sit rationis vel voluntatis actus: sed non oportet in hoc immorari, nam applicari possunt cum proportionem dicta de le-

ge. Et hic multo clarius est dispensationem non esse nisi actum voluntatis principis quo vult liberum esse subditum a jugo legis suæ, aliquo exteriori signo sufficienter manifestatum.

## CAPUT XI.

## DE EFFECTIBUS DISPENSATIONIS HUMANÆ LEGIS.

1. *Effectus dispensationis quis.*—Quia dispensationem perejus effectum descripsimus, ideo illi statim annectimus explicationem effectus dispensationis ante causas ejus, quia hic effectus habet quodammodo rationem objecti, et ita illo cognito proficietur dispensationis cognitio; et, quia materia est facilis, breviter expeditur. De divisionibus autem dispensationis specialiter non tracto, quia inter causas et effectus dispensationis melius explicabuntur. Primo ergo ex definitione constat quasi adæquatam effectum dispensationis esse tollere vinculum legis ex parte; nam hoc modo relaxat legem, non aufert, alias non esset dispensatio legis, sed ablatio. Potest autem hic effectus esse ex parte vel ratione personæ, vel ratione temporis. Et ita potest primo dividi dispensatio in suspensionem legis et exceptionem a lege. Potest enim princeps concedere toti communitati ut pro uno anno præcise legem non servet, quæ sine dubio est propria dispensatio, quia est relaxatio legis et non ablatio; nam transacto tempore statim per se obligat sine alia constitutione vel promulgatione, et ideo recte dicitur suspensio legis, sicut etiam privilegia interdum suspendi solent et non auferri, ut infra videbimus. Frequentius vero princeps concedit uni personæ vel alteri ut non servet legem, et illam voco exemptionem a lege quando sine temporis determinatione, perpetuo, vel ad vitam conceditur; nam si concedatur ad definitum tempus, erit utroque modo partialis ablatio vinculi, et ita est quasi mixta ex suspensione et exemptione. Aliquando vero dispensatio datur ad unum tantum actum, et tunc etiam est per modum suspensionis ab obligatione legis pro brevissimo tempore, nisi actus habeat effectum permanentem ac perpetuum, ut legitimatio ac similes, quæ proprie sunt exemptiones a lege, et inter privilegia numerantur.

2. *Præcipuus effectus dispensationis est vinculum tollere in conscientia.*—Ex quo ulterius sequitur, quot sunt effectus legis, tot posse dispensationi cum proportionem attribui, tum quia

quot modis dicitur unum oppositorum, tot dicitur et reliquum; tum etiam quia dispensatio absolute et indefinite dicitur juris humani relaxatio; ergo quidquid lex humana ligat, potest dispensatio absolvere. Primus autem ac præcipuus effectus legis est obligare in conscientia, sub quo duo concluduntur, qui sunt præcipere et prohibere, ut supra visum est; igitur primus ac præcipuus effectus dispensationis erit obligationem in conscientia tollere, quia, ut diximus, non supponit obligationem ablatam, sed illam aufert. Et ideo recte dixit Geminian., cons. 106, n. 6, et cons. 38, n. 9, dispensationem esse actum qui facit de illicito licitum, quia respectu dispensati tollit legem per quam res est mala, tantum quia prohibita. Sic etiam recte dixit Turrecrem. in c. ult., d. 14, n. 3: omne dispensabile, ait, est illicitum illi cum quo dispensatur, factibile autem licitum per alterius potestatem. Non est tamen necessarium ut omnis dispensatio hoc faciat, ut statim dicam, sed satis est hunc esse præcipuum effectum dispensationis, quemque semper efficit, si dispensatus illo indiget.

3. *Alter effectus dispensationis.*—*Dispensatio, formaliter loquendo, non potest obligare ad actum contrarium illi in quo fit dispensatio.*—Alius effectus legis dicitur esse permittere: sed jam supra diximus propter puram permissionem non esse necessariam legem, sed quatenus ipsa permissio ponitur sub præcepto, ut sic, posse esse effectum legis. Sic ergo videri potest non posse permissionem esse effectum dispensationis: nam per dispensationem in illa lege permittente potius fiet ut permissio tollatur, vel saltem ut præcepta non sit, et consequenter ut licite tolli possit. Aliunde vero omnis dispensatio videtur habere hunc effectum permittendi, quia eo ipso quod aufert obligationem legis, verbi gratia, jejunii, permittit non jejunare, licet non cogat. Et sic de aliis omnibus cum proportionem. Quod vere dictum est; oportet tamen cavere æquivocationem; nam dispensatio plus est quam permissio, et permissio proprie sumpta et secundum communem usum non est dispensatio. Aliquando enim permittere non aliud significat quam voluntarie non impedire; quod non est dispensare. Nam Deus permittit peccatum in quo non dispensat. Aliter vero permittere significat idem quod sinere impune operari malum, ut in republica dicuntur aliqua peccata permitti; et quando id fit ex decreto legis, dicitur permissio esse legis effectus: illa vero non relaxat legem, quandoquidem non excusat culpam,



quam propria dispensatio tollit. Et ideo neque illa dicitur dispensatio. Solum ergo potest dici dispensatio permittere, quia licet reddat actum bonum seu non malum, necessitatem illius non imponit. Posset vero hic inquiri an dispensatio interdum possit obligare ad actum contrarium illi in quo fit dispensatio. Sed breviter dico non posse, formaliter loquendo, licet concomitanter cum dispensatione, verbi gratia, in irregularitate, possit simul imponi præceptum suscipiendi ordines, vel quid simile. Aut etiam e contrario potest fieri statutum speciale obligans et derogans juri communi; sed illa etiam non est dispensatio, ut supra declaravi. Dispensatio ergo, ut talis, non inducit obligationem; et idem dicam in libro 8 de Privilegio, ubi plura de hoc puncto trademus.

4. *Alius effectus dispensationis.*—Alius effectus legis est poena, et hanc etiam relaxat dispensatio consequenter ad primarium effectum, nisi alia limitatio in ea exprimat, quia ablata culpa transgressionis consequenter tollitur reatus poenæ. Aliquando vero potest dispensatio habere suum effectum circa solam poenam, idque duobus modis. Primo, antecedenter ad reatum ejus, ut si alicui conceditur ut non incurrat poenam legis, licet committat contra illam, non auferendo ab illo legis obligationem; illa enim est dispensatio in poena et non in culpa. Hæc autem videri potest permissio quædam potius quam dispensatio, tamen non est propria permissio; nam, licet quis fiat immunis a poena legis, non ideo permittitur impune peccare; poterit enim aliter puniri, et licet sub illa ratione videatur permissio, quatenus est ex parte exemptio a lege, est propria dispensatio. Sicut solet abrogari lex quoad poenam, et non quoad vim directivam, quæ non est absoluta permissio, quia transgressio illius poterit aliter puniri, et quatenus aliqualis permissio est, per abrogationem tollitur. Et simili modo potest e contrario fieri dispensatio in lege quoad obligationem culpæ, et non quoad poenam incurrendam. Quamvis enim hæc dispensatio rarior sit in usu, non est impossibilis. Nam sicut dari potest lex pure poenalis respectu totius communitatis, ut supra visum est, ita potest lex, quæ est mixta respectu communitatis, fieri per dispensationem pure poenalis respectu alicujus, et ita auferet vinculum conscientiæ, licet non tollat gravamen poenæ.

5. Alio modo potest dispensatio per se fieri in poena jam contracta per præcedentem culpam, ut quando fit remissio poenæ per legem

impositæ; nam illa etiam est quædam legis relaxatio, ut constat. Et interdum fit hæc dispensatio post contractum reatum poenæ, cum nondum est poena ipsa incursa, ut quando est tantum ferenda, et nondum est lata sententia: aliquando vero fit indulgentia post poenam illatam, vel per ipsam legem, vel per sententiam: et tales sunt dispensationes in irregularitatibus, et in aliis poenis quæ non sunt censuræ. Nam censuræ non dispensantur postquam incursæ sunt, sed absolvuntur, ut capite præcedenti explicavi. Possunt autem dispensari priori modo, scilicet, antequam incurrantur, sicut fit per privilegia ut aliquis non possit excommunicari, vel sub poena excommunicationis obligari, etiamsi præcepto simplici obligari possit. Et quæ dicta sunt de poena applicari possunt ad irritationem actus et ad taxationem pretii, et similes effectus: nam prout sunt a lege humana, per dispensationem auferri possunt, vel simul cum aliis, vel etiam per se soli, quando ab aliis separabiles sunt.

6. *Dispensatio plena et totalis, et semiplena ac partialis distinguuntur.*—Atque hinc facile declarari potest alia divisio dispensationis quam attigit Glossa ult. in cap. *Nos consuetudinem*, dist. 12, quæ in specie loquitur de dispensatione irregularitatis ad ordines, et distinguit in semiplenam et plenam; imo addit etiam plenioram et plenissimam. Nos autem generaliter dividere possumus in plenam seu totalem ac puram, et partialem seu mixtam. Prior est quando per dispensationem tota obligatio legis omnique effectus ejus tollitur, nullo onere superaddito. Posterior autem contingit duobus modis; prior est quando lex non in toto, sed in parte dispensatur, ut, in exemplo de irregularitate, si quis dispensetur tantum ad ordines minores, est partialis dispensatio, quæ ab illa Glossa semiplena vocatur; si autem dispensetur ad ordinem sacrum, infra sacerdotium tantum, a dicta Glossa vocatur plena, comparatione prioris; unde plenioram vocat si sit ad sacerdotium, plenissimam si ad episcopatum. Tamen in rigore omnis dispensatio quæ totum impedimentum non auferit semiplena est et partialis; unde si auferatur obligatio ad poenam et non ad culpam, partialis etiam est dispensatio et valde diminuta; si vero fiat e contrario, major quidem est, sed nondum est perfecta et integra, et ita dicendum est in aliis effectibus explicatis.

7. *Dispensatio partialis aliquando commutatio esse potest.*—*Differentia inter votum et legem.*—Alio vero modo potest partialis dici,

quæ, licet auferat totam obligationem, loco illius imponit aliam, quæ proprio nomine vocatur commutatio. Et quando onus impositum est pecuniarum seu eleemosynæ, vocatur redemptio. Quæ voces in votis magis usitatæ sunt; tamen cum proportione in præsentia accommodantur. Solum notanda est differentia inter votum et legem, quod in voto fieri potest commutatio propria auctoritate, si sit in melius vel si sit in æquale, juxta probabilem opinionem; in lege vero non potest fieri commutatio in quantumcumque melius, nisi interveniat auctoritas dispensantis. Et ratio differentiae est, quia votum propria voluntate factum est, et per se primo solum respicit divinum cultum, et ideo si respectu Dei major est cultus, intelligitur satisfieri promissioni illi factæ, ideoque per voluntatem promittentis potest commutari. Lex autem et materia ac obligatio ejus determinatur per voluntatem superioris, et per illam constituitur actus in tali specie virtutis, tanquam necessarius ad ad honestatem ejus, et ideo nisi obligatio auferatur auctoritate dispensantis, non potest opus præceptum in quodcumque opus consilii commutari, neque una poena in aliam, et ideo hæc commutatio in lege magis inducit rationem dispensationis, et servata proportione, in omnibus illam imitatur.

8. *Dispensatio non habet effectum antequam perveniat ad notitiam illius cum quo dispensatur, si fiat quoad obligationem in conscientia.*—Quæri vero potest quando dispensatio incipiat habere effectum suum, in qua quæstione (ut locum habeat) supponendum est absolute et sine expressa dilatione esse a dispensante concessam; nam si concessa sit sub aliqua conditione, clarum est non habere effectum. Difficultas ergo est de dispensatione perfecte concessa ex parte principis per absolutum *fiat*. Hæc vero quæstio habet connexionem cum simili quæstione de privilegio, et ideo simul illam disputabo infra libro 8, cap. 25. Nunc breviter resolutio mea est dispensationem legis quoad obligationem in conscientia et quoad omnem effectum qui ex illa pendet, non concedi de facto et moraliter loquendo, ita ut suum effectum habeat priusquam ad notitiam dispensati perveniat et illam per seipsum accipiat. Ratio est, quia ante notitiam talis dispensationis non potest esse licitus usus ejus, et ideo verisimile non est aliter concedi. Quando vero dispensatio non tollit obligationem conscientiæ, sed alia onera, non repugnat statim a concessione accepta saltem per procura-

toem vel per epistolam habere de se suum effectum, in quo tenor dispensationis et intentio concedentis attendenda.

9. *Dispensationis effectus per se et per accidens.*—Hic autem advertere oportet in dispensationibus sæpe distingui proximum effectum dispensationis a remoto, qui possunt etiam dici effectus per se et per accidens; nam dispensatio, per se ac proxime, solum tollit vinculum aliquod, seu incapacitatem, et hunc voco effectum per se, quia per ipsammet dispensationem fit; inde vero sequitur vel contractus matrimonii, vel receptio valida beneficii, qui non immerito censentur dispensationis effectus, quia sine illa fieri non possunt, sunt tamen remoti et per accidens, quia solum pendent a dispensatione tanquam a removente prohibitionem. Igitur quæ diximus, de prioribus effectibus intelliguntur; nam illi (ut dixi) fiunt per influxum dispensantis circa dispensatum, vel acceptantem, vel non repugnantem, juxta exigentiam effectus. Alii vero postea fiunt per solam voluntatem dispensati, quando in sola actione ejus consistunt, vel per voluntatem alterius, ut quando recipiendo consummantur. Hic vero occurrebat statim quæstio an ad hos posteriores effectus necessarium sit dispensationem alteri manifestare, ut, si irregularis dispenseretur ad ordines vel ad beneficia, an ad consequendum effectum necessarium sit dispensationem allegare. Aliqui enim ita affirmarunt; quod habebit locum si defectus seu impedimentum sit publicum aut notum alteri; per se autem id non est necessarium, quia dispensatus jam est habilis seu capax beneficii, et ut talis operari potest, non explicata causa habilitante neque declarato modo inhabilitatis, id enim impertinens est, quia neque ex natura rei est necessarium neque in jure postulatur. Ita Panorm. in cap. penult. de Præscr., n. 14; Rebuff. in Pract., tit. de Dispens., n. ult., cum Joan. Andr. et aliis quos allegat in cap. 2 de Filiis Presbyt.

10. *Dispensatio per se loquendo est stricte intelligenda.*—Alia item quæstio circa hos effectus tractari potest, scilicet, an quoad illos large vel stricte sit dispensatio interpretanda; illa vero coincidit cum alia simili de privilegiis, quam infra l. 8, c. 27, tractabo, et omnia quæ de rigoroso privilegio dixerimus in dispensatione cum proportione procedunt. Et ideo nunc solum supponimus dispensationem per se loquendo ac regulariter restringendam esse, quia a jure exorbitat et jus vulnerat, et ita procedit, in illa, regula *Quæ a jure*, de Reg. jur., in 6, et sumitur ex cap. 4 de Filiis Pres-

byter., in 6. Hæc vero restrictio non debet esse ultra proprietatem verborum, juxta supra dicta cap. 2 et 3, nec debet esse tanta ut excludat ea quæ necessaria sunt ad valorem et effectum dispensationis, quæve cum illo sunt necessario connexa, seu ad illam necessaria, ut recte advertit Angel., verb. *Dispensatio*, n. 9, et Sylv., quæst. 5, n. 9, qui allegant Glossas et doctores. Et ratio est per se clara; nam qui dat formam dat consequentia ad formam, alias esset frustratoria dispensatio. Denique esse non debet tam universalis restrictio, ut de omnibus dispensationibus indifferenter intelligatur. Nam excipiendæ sunt illæ quæ ratione materiæ, vel gravissimæ aut piissimæ causæ, omnibus pensatis, censentur favorabiles, juxta principia posita in capite primo et dicenda de privilegiis; et videri potest Panormitan. in cap. *Ad aures*, de Rescript., n. 8, et in c. *Ac si clericis*, § *de Adulteriis*, de Judic., ubi etiam Fel., n. 16, et in cap. *Causam quæ* de Rescr., n. 15, cum Dominic., in cap. *Nos consuetudinem*, d. 12.

11. Denique addit Covarr. in 4 t., d. c. 8, § 8, n. 11, hoc præcipue intelligi de dispensatione ab homine, non a lege, quia lex jam constituit jus. Quod duobus modis potest intelligi; primo, ut, si lex aliqua specialis dispenset in anteriori lege universali, illa dispensatio censenda sit favorabilis, quod verum est quando talis lex inserta est in corpore juris, sicut de simili privilegio infra dicemus. Alio modo potest intelligi, ut, quoties lex ipsa expresse concedit vel permittit, dispensatio non sit stricte interpretanda, et hoc modo non est id simpliciter verum, quia illa dispensatio cum fit, ab homine est, et vulnerat jus. Potest ergo intelligi non absolute, sed comparate; nam illa non tam rigore restringenda videtur, sicut illa quæ est contra legem absolute prohibentem, nulla facta mentione dispensationis, quia hæc magis videtur exorbitare a jure. Et in his comprehenduntur breviter omnes limitationes quæ ad prædictam regulam adhiberi solent. De quibus videri potest Sanci., lib. 8, disp. 1, et quæ de privilegiis dicemus.

## CAPUT XII.

## DE MATERIALI CAUSA DISPENSATIONIS.

1. Explicata ratione et effectibus dispensationis, causas ejus explicare incipimus. Et imprimis materialis occurrit; in quo soleo veluti duas partes distinguere in his actibus quæ ad alterum tendunt, scilicet, rem vel actionem

circa quam opus versatur, et personam ad quam ordinatur: hæc ergo duo in dispensatione distinguenda sunt, quia dispensatio actio est quæ de se ad alterum tendit, et ita in ea hæc duo inveniuntur, quod dispensatur et cui dispensatur. Utrumque ergo explicandum est, quod breviter in hoc capite expediemus, quia est res partim facilis et fere jam in dictis explicata, partim connexionem habens cum his quæ de privilegiis dicenda sunt. Priorem ergo partem de materia proxima dispensationis tractat late Turrecrem. in c. *Sicut quedam*, 14 d.; ille vero latius ibi agit de dispensatione quam nos in præsentem: sub illa enim comprehendit etiam interpretationem quæ in jus divinum aut naturale cadere potest, et ita etiam late loquitur de materia dispensabili, et ab ea excludit solum bona necessaria ad salutem, et mala intrinsece talia, et reliqua omnia comprehendit dicit sub materia dispensabili, quam distinguit in tres ordines. In uno sunt bona quæ ex natura rei bona sunt ac necessaria, ut in pluribus, interdum vero propter circumstantias non expediunt, ut reddere depositum. In alio ordine sunt ea quæ e contrario per se mala sunt regulariter, aliquando vero propter circumstantias expediunt, ut occidere hominem. Et hæc ait esse dispensabilia per modum interpretationis, vel epikia, non per modum relaxationis, et (quod mirum est) sub his conditionibus comprehendit vota, et similia. In ultimo vero ordine ponit actiones de se indifferentes, quæ per leges fiunt bonæ aut malæ, et hunc ordinem dicit complecti materiam proprie dispensabilem.

2. *Vota et juramenta in quo ordine dispensandi continentur.* — Sed quod ad primos duos ordines spectat, ego imprimis censeo vota et juramenta non esse sub his ordinibus constituenda; nam præcepta illorum potius continentur sub materia indispensabili: ipsæ vero promissiones aliud genus dispensabilitatis habent, ut jam dicam. Deinde addo hos duos ordines actuum, si recte sumantur, nullo modo comprehendit sub materia dispensabili, non tantum ab homine, sed simpliciter. Quia priora bona, licet per se bona sint, non tamen sunt pro semper necessaria, et determinatio temporis pro quo necessaria sunt nullo modo potest dici dispensatio, imò nec epikia, ut in superioribus dixi. Illa vero mala quæ in secundo ordine collocantur, prout intrinsece seu ex se mala sunt, dispensationem aut interpretationem non admittunt; abstracte autem sumpta sine certis circumstantiis aut habitudini-

bus, non sunt mala ex se, et ideo licet fieri possint bene, non per dispensationem vel interpretationem, sed per determinationem ad aliam speciem actus in genere moris, talia fiunt.

3. *Materia adæquata hujus dispensationis est lex humana, et vinculum ex illa resultans.* — Pro explicanda ergo quasi adæquata materia dispensabili de qua tractamus, adverte aliud esse vinculum legis positivæ (naturalem enim omitto, quia indispensabilem esse suppono), aliud vero esse vinculum contractus sub quo promissiones sive ad Deum sive ad hominem comprehendendo; utrumque enim vinculum dispensabile seu solubile est per potestatem superiorem, alio vero et alio modo. Nam promissiones vel contractus non dispensantur tollendo obligationem alicujus legis, sed quasi abrogando factum, seu remittendo promissionem, ut in materia de Voto, l. 6, fuse explicavi; et illa doctrina tam in juramento quam in humana promissione et in matrimonio rato (si dispensabile est) locum habet. Tota ergo illa materia illo modo dispensabilis ad præsentem materiam non spectat; tractamus enim de sola dispensatione in vinculo legis positivæ, quæ alterius rationis est, ut constat. De hac vero ulterius subdistingendum est; nam sicut duplex est lex positiva, divina una, altera humana; ita duplex est materia dispensabilis, una a vinculo legis divinæ, altera a vinculo legis humanæ: in præsentem autem non tractamus de priori materia, quia solum tractamus de vinculo legis humanæ et de modo quo potest in particulari auferri, et ideo adæquata materia hujus dispensationis est lex humana, aut vinculum ejus, aut omnis obligatio quæ ex lege humana præcise nascitur.

4. Unde omnes effectus morales qui ex hujusmodi lege nasci solent et de se sunt perpetui vel tempore definito per legem necessario durant, sub hac materia dispensabili comprehenduntur. Atque ita omnia impedimenta matrimonii, sive impedientia tantum sive etiam irritantia, et omnes irritationes actuum per leges introductæ, et irregularitates, infamiæ et aliæ pœnæ, vel debita pœnarum ex lege orta, sub materia dispensabili continentur quatenus a lege pendent. Quia non fit in eis mutatio nisi derogando legi, et e contrario auferendo vinculum legis ipsa tolluntur, quia a lege pendent (ut sic dicam) in fieri et conservari. Et ideo dixi *quatenus a lege pendent*; nam sub quacumque alia ratione considerentur, non erunt materiæ hujus dispensationis de qua trac-

tamus, etiamsi alio modo sint mutabilia, vel auferibilia per humanam potestatem. Ut, verbi gratia, filius spurius ante mortem patris per dispensationem legitimari potest ut sit hæres tanquam legitimus, quia illud impedimentum et ille effectus pendet ex lege pro eo tempore, et ita non aliter tollitur nisi tollendo vinculum legis. Si autem pater jam sit mortuus et alii fratres acquisierunt hæreditatem, jam non poterit talis filius dispensari quoad illum effectum, quia jam non impeditur sola lege, sed alio titulo justitiæ, quia jam alii fratres facti sunt domini omnium bonorum patris. Quod si in aliquo casu possit princeps aliquid de bonis paternis ab aliis tollere et illi conferre, non erit illa dispensatio in lege, sed erit ex alia potestate quasi superioris domini in bona subditorum, ad distribuendum illa prout communi bono fuerit expediens.

5. *Regula generalis.* — Hic vero occurrere posset quæstio an omnes leges quæ sunt in Ecclesia et a Deo immediate non manarunt sub hac materia dispensabili comprehendantur, id est, an traditiones apostolicæ dispensabiles sint, quando ab ipsis Apostolis immediate originem traxerunt. Aliquando enim jura canonica et eorum interpretes videntur hoc negare, ut de jejuniis quadragesimæ, de quota decimarum, de irregularitate bigamiæ, et similibus, de quibus generaliter dicitur in cap. *Contra statuta*, 28, quæst. 1, et in cap. *Sicut quedam*, d. 14, aliqua esse a Patribus statuta quæ omnino sunt immutabilia. Sed hæc quæstiones et similes attingunt generalem disputationem de potestate Papæ, de qua quantum ad præsens spectat in cap. 14 aliquid dicemus. Nunc dico generalem esse regulam et sine exceptione, omnem materiam necessariam tantum ex lege humana, a quocumque puro homine vel hominum congregatione lata sit, esse materiam dispensabilem per potestatem hominibus datam. Hanc ponit D. Thomas, quodlib. 4, art. 13. Et ratio est, quia ex parte materiæ non est repugnantia, ut constat, quia voluntas humana mutabilis est et circa materiam mutabilem versatur. Et potestas non deest, ut d. cap. 14 dicam, et videri possunt quæ dixi in 3 t., disp. 49, sect. 6. Dicta autem jura et similia loquuntur de dogmatibus fidei et de institutionibus ac præceptis divinis, ut sunt de sacramentis et sacrificio, ut ex Glossis et doctoribus constat, et ratio ipsa ac contextus facile demonstrat.

6. *Ad quas personas extenditur dispensatio.* — Circa alteram partem hujus materiæ, scilicet